

mine pellunt spiritum immundum; et in templorum sacrilegorum iniquitate inventa est veritas, qua colebant ignotum Deum; et in dæmonum iniquitate in-

venta est veritas, qua confessi sunt Christum. Sic et in haereticorum iniquitate inventa veritas non neganda est, qua detinetur Baptismi sacramentum.

Non exstat liber de Maximianistis contra Donatistas, qui post opus de Unico Baptismo collocatur in Retractationum libro 2, cap. 35.

## DE SUBSEQUENTE OPERE,

LIB. II RETRACTATIONUM CAPUT XXXIX.

Posteaquam facta est cum Donatistis nostra Collatio (a), breviter commemoravi quæ gesta sint, litterisque comprehendendi, secundum tres dies quibus cum eis contulimus: idque opus utile existimayi, quo quisque commonitus, vel sciat sine labore quid actum sit, vel consultis numeris, quos rebus singulis annotayi, legat in eisdem gestis ad locum quodecumque voluerit; quoniam fatigant illa nimia prolixitate lectorem. Hujus autem operis titulus est, Breviculus Collationis. Hoc opus sic incipit: *Cum catholici episcopi et partis Donati.*

(a) Facta est Collatio mense junio anni 411. Collationis ergo hicce Breviculus sub ejusdem anni 411 finem scriptus est. De codem Breviculo in Epist. 459, ad Marcellinum, n. 5: « Sicut mihi fuit Breviatio gestorum Collationis nostræ satis operosa, cum viderem neminem se velle tanto aggeri litterarum legendō committere: sicut mihi fuit etiam Epistola ad ipsos laicos Donatistas de hac eadem collatione nostra, quam modo aliquot lucubrationibus terminayi. » Rursum in Epistola 483, ad Bonifacium, n. 6: « Quemadmodum autem, » inquit, « in ipsa collatione modis omnibus victi sint, quoniam valde prolixa sunt gesta, et tibi aliis rebus Romanæ paci necessariis occupato, multum est ut legantur, Breviarium eorum tibi legi forsitan poterit, quod credo habere fratrem et coepiscopum meum Optatum; aut si non habet, possit facilime accipere de Ecclesia Sitifensi. »

# S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI BREVICULUS COLLATIONIS CUM DONATISTIS<sup>(\*)</sup>.

## Collatio primi diei.

**PRAEFATIO.** — Cum Catholici episcopi et partis Donati, jussu Imperatoris (a), disputando inter se gestis apud tribunum et notarium Marcellinum cognitorum habitis contulissent, multum prolixa eorumdem gestorum est facta conscriptio, quamvis posset totum multo brevius agi. Sed qui causam bonam non se habere sciebant, id egerunt primum quantum potuerunt, ut ne ipsa Collatio fieret, et ut prorsus causa ipsa non ageretur. Sed quia hoc obtainere minime potuerunt, id effecerunt multiplicitate gestorum, ut quod actum est, non facile legeretur. Unde visum est isto breviario cuncta complecti, ut ad signa numerosrum, quæ et in isto breviculo, et in ipsis gestis annotantur, sine difficultate quisque inveniat quod voluerit.

**CAPUT PRIMUM.** — Ingressis itaque utrisque partibus, primo loco recitatum est rescriptum imperatoris (b), quo jussit Collationem inter memora-

tos episcopos fieri, ut superstitionem manifesta ratio confutaret.

**CAPUT II.** — Secundo loco recitatum est edictum ipsius Cognitoris (a), quod per provinciam misit, ut convenirentur utriusque partis episcopi, et intra diem calendarum juniarum conferendi causa congregarentur Carthaginē. In eo edicto basilicas sine iussione Imperatoris reddidit Donatistis, qui se pollicerentur esse venturos, ut eo modo eos ad conferendum etiam beneficiis invitaret. In eodem etiam edicto obtulit eis, ut alium quem vellent cum illo judicem constituerent; juravitque se hoc judicaturum, quod veritas suassisset: et cætera quæ ad exhortationem congregationis illorum eodem continentur edicto.

**CAPUT III.** — Tertio loco recitatum est alterum Cognitoris edictum (b), quod proposuit jam præsentibus apud Carthaginem utriusque partis episcopis, qui locus et qui modus Collationis futurus esset, supra

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Breviculus Collationis cum Donatistis recognitus est denuo ad veteres editiones, destituentibus nos hic codicibus manuscriptis.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retractationum, t. 1, memoratas. M.

(\*) Scriptus sub finem anni 411.

(a) Honorii.

(b) Exhibitetur infra in Appendice.

(a) Infra in Appendice.

(b) Ibid.